* 2. Arborum *Chêne* Quercus.	2	*Palme* palma, *Epine* ſpina, *Vigne*

Maſc. gen. ſunt nomina		Excipe.
		vitis, *Ronce* ſentis, *l'ieuſe* ilex, *l'Ebene* ebenum.
* 3. Monetarum *écu* coronatus.	3	*Piſtole*, *Portugaiſe*, *Maille*, *Pite*, *Obole*.
* 4. Urbium, ut: *Paris*: ſed mallem ea fœminina reddere, addendo nomen *Ville*; ut: *La Ville de Paris eſt belle*, Civitas Pariſiorum eſt amœna.	4	*Ieruſalem*, *Iericho*, & ea quę fœmininam habent terminationem; ut: *Rome*, *Veniſe*, ut & ea, quæ ab *Appellativis* deſcendunt, ut: *La Rochelle*, Rupella.

* 5. Nomina Fluviorum, Regnorum & Provinciarum ſequuntur Genus *Terminationis ſuæ*, ut:

Le Rhin Rhenus, *le Peru* Peruvium, *le Languedoc*, *le Palatinat.*	*La Garonne*, *la Tamiſe*, *la Seine*, *la France*, *la Pologne.*

Dictiones *Subſtantivè* ſumptæ, ut: *le Long* longitudo, *le Boire* potus, *le Trop* nimium, *le Dedans* interior pars.

Maſcu-

Masculina sunt terminata in		Excipe.
* 1. eau, *chapeau* pileus, ai, *geai* graculus, eu, *feu* ignis, ou, *trou* foramen.	1	*eau* aqua, *peau* pellis.
* 2. oi, *convoi* præsidium, ui, *ennui* tristitia, b, *plomb* plumbum, c, *sac* saccus, d, *accord* pactum, é, *congé* venia.	2	*foi* fides, *loi* lex, *paroi* paries.
* 3. age, *voiage* iter, âme, *blâme* vituperium, ême, *blasphême*, blasphemia, éme, *bâtéme* baptismus.	3	*cage* cavea, *image* imago, *rage* rabies, *plage* plaga, *pâge* pagina, *ambâges* ambages semper pluralis numeri.
* 4. aume, *heaume* galea, ége, *manége* equorum domitus.	4	*paume* palma.

neige

Masc.		Excipe.
* 5. eige, *pleige* fidejussor, iege, *siége* sedes, isme, *sophisme* sophisma.	5	*neige* nix.
* 6. f, *bœuf* bos, g, *sang* sanguis, h, *estomach* stomachus,	6	*clef* clavis, *soif* sitis, *nef* navis.
* 7. i, *souci* cura, l, *fil* filum,	7	*merci absolutè* sumptum; in *compositione* masculinum est, ut: *grand-merci.*
* 8. m, *renom* fama	8	*faim* fames.
* 9. n, *poinçon*, acus, o, *éco* echo, p, *camp* castra, q, *coq* gallus gallinaceus	9	*main* manus, *fin* finis.
* 10. r, *danger* periculum:	10	*chair* caro, *mer* mare, *cour* aula, *cuillier* cochlear, *tour* turris, *rancœur* rancor.
* 11. s, *repas* cibi sumptio.	11	*brebis* ovis, *fourmis* formica, *souris* mus, *fois* vices.

Masc.		Excipe.
*12. t, *habit* vestis.	12	*dent* dens, *jument* jumentum, *mort* mors, *nuit* nox, *foret* sylva, *part* pars, *maict* mactra.
*13. u, *fétu* stramen.	13	*vertu* virtus, *glu* gluten, *bru* nurus, *tribu* tribus.
*14. x, *choix* electio.	14	*chaux* calx, *faux* falx, *croix* crux, *paix* pax, *perdrix* perdix, *poix* pix, *queux* cos, *toux* tussis, *voix* vox.
*15. z, *nez* nasus.	15	*viz* aut *vis* cochlea.

Fœminina sunt Nomina.

Dearum, *Mulierum*, *Dignitatum* & *Officiorum Mulieribus* convenientium, deinde *Scientiarum*, *Virtutum* & *Fructuum*, ut: *Iunon*, *Marie*, *Reine*, *Lingere* nutrix, *Philosophie* Philosophia, *Force* fortitudo, *Poire* pyrum.

Excipe.

Citron citreum malum, *melon* melo pepo, *marron* balanitis, *limon* citreum limonium, *raisin* uva, *coin* malum cydonium, *abricot* malum armeniacum, *concombre* cucumer, *poivre* piper, *gingembre* zin-

zingiber, *champignon* fungus, *naveau* rapa, *orge* hordeum, *ſeigle* ſecale, *froment* frumentum, *raiſort* raphanus, *porreau* porrum, *oignon* cæpæ, *gland* glans, *potiron* fungus.

Fœminina ſunt terminata in

Té & Tié à Latinis in tas, denotantia *Qualitatem, Quantitatem* & *Affectionem*, ut, *Bonté* bonitas, *Moitié* dimidium, *Amitié* amicitia.

* 1. *ce Apparence* indicium *ie. Vie* vita	1	*Silence* ſilentium, *Vice* vitium, *Service* ſervitiũ.
* 2. *ime, Eſtime* opinio *éte, Conquéte* victoria.	2	*Crime* crimen, *Regime* regimen.

uë, *Veuë* viſus.
eſſe, *Triſteſſe* triſtitia,
eine, *Peine* pœna,
ume, *Amertume* amaritudo,
ure, *Nature* natura.
eur, à Latinis in (*or*) ſive *Qualitatem, Quantitatem* aut *Paſſionem* denotent, ut: *Chaleur* calor, *Largeur* largitudo, *Peur* timor; item *Fleur* flos, *Humeur* indoles.

Maſc. ſunt *Honneur* honor, *Cœur* còr, *Labeur* labor, *Heur* fortuna, & ejus compoſita, ut: *Bon-heur* fælicitas, *Mal-heur* infortunium, *pleurs* fletus, ſemper pluralis numeri.

Fæm.

Fæm. sunt Verbalia in *çon*, *ion* & *son*, ut: *Rançon* lytrum, *Affection* affectio, *Raison* ratio, *Moisson* messis.

Excipe *Soubçon* suscipio, *Bastion* propugnaculum, *Tison* titio, *Horison*, *Oison* anser, *Poison* venenum.

Nota. Genus interdum lapsu temporis mutari, ut: *Navire* fuit Fœmininum, nunc Masculinum est, *Dent* fuit Masc. nunc Fœm. est &c.

Cap. V.

De Dictionibus Genus dubium *habentibus*.

Acte *factum* / Adultere *adulterium* } mascul.

Adultere *pro personâ sequitur genus personæ ad quam refertur.*

Age *ætas*, masc. est.

Affaire, *negotium* fœm.

Aigle, *aquila* dubii.

Alarme *excitatio* fœm.


Amour *pro Cupidine & amore Dei* est masc. *alias est* dubii.

Apostume, *apostema* melius fœm. quam masc.

Anagramme *anagramma*, fœm.

Bonace, *maris tranquillitas* fœm.

Camarade, *focius*, } commun.
Chanvre, *canabis*
Concierge *custos carceris*
Comté, *comitatus*, *fere semper* masc. *Dicitur tamen* la franche Comté.
Couple, *par* fœm.
Crépe, *byssinus* masc.
Diocese, *diœcesis* masc.
Dogme, *dogma* melius masc. quam fœm.
Dogue, *molossus* commun.
Doute, *dubium* } mascul.
Duché, *ducatus*
Emplâtre, *emplâstrum*
Epitaphe, *epitaphium*
Epithéte, *epitheton*
Equivoque, *æquivocus* } fœm.
Erreur, *error*
Etude *pro Studio masc. est & pro Musæo*, *fœm. Vaugelas* semper fœm. facit.
Epithalame, *Epithalamium* } masc.
Espace, *spatium*
Evêché, *Episcopatus*
Exemple, *exemplar*.
Foudre, *fulmen* potius fœm.
Gens, *homines semper pluralis numeri*, Adjectivo *præpositum* est masc. *Dum verò* Adjectivum *ei præponitur*, fœm.
Excipe dum *Tout* ei præponitur, ut: *tous les Gens de Lettres sont de vôtre sentiment*, omnes literati homines tecum sentiunt.



Hemisphere, *Hemispherium*
Hemistiche, *semiversus*
Horoscope, *horoscopus*
Horloge *horologium*
} masc. sunt.

Huile, *oleum* dubii.
Intervale, *intervallum* masc.

Intrigue, *tricæ*
Idole, *idolum*
Ivoire, *ebur*
Maxime, *axioma*
} fœm.

Manche, *manica* fœm.
Manche, *capulum* masc.

Mensonge, *mendacium*
Navire, *navis*
Negoce, *negotium*
Oratoire, *cella oratoria*
} masc.

OEuvre *pro libro aut opera est* masc.
OEuvre *pro actione est* fœm.
OEuvres, *in plurali est* fœm.

Offre, *oblatio*
Ordre, *ordo*
} dubii.

Poison, *venenum* mascul.
Préface, *præfatio* fœm.

Timbale *tympani species*
Ulcere, *ulcus*
} fœm.

Barbe, *equus* masc.
Barbe, *barba* fœm.
Bassecontre, *cantor* masc.
Bassecontre, *bassus* fœm.
Cornette, *signifer* masc.
Cornette, *velamen capitis muliebr.* fœm.

Enſeigne ; *ſignifer* maſc.
Enſeigne , *vexillum* fœm.
Garde , *cuſtos* maſc.
Garde , *cuſtodia* fœm.
Garde-robe , *veſtis muliebr.* maſc.
Garde-robe, *ſecreta loca* fœm.
Livre , *liber* maſc.
Livre , *libra* fœm.
Page , *puer honoris* maſc.
Pâge , *pagina* fœm.
Parallele , *comparatio* maſc.
Parallele, *linea* fœm.
Periode , *periodus temporis* maſc.
Periode , *orationis* fœm.
Poſte , *pro ſtatione militis* maſc.
Poſte , *curſus in equo* fœm.
Pourpre , *murex morbus* maſc.
Pourpre , *veſtis aut pannus* fœm.
Rencontre , *facetiæ in verbis* maſc.
Rencontre , *occurſus* fœm.
Satire , *Deus* maſc.
Satire , *poëma* fœm.
Sentinelle , *excubitor* , & *excubiæ* fœm.
Temple , *templum* maſc.
Temple , *tempora* fœm.
Trompette , *Tubicen* maſc.
Trompette , *tuba* fœm.
Trouble , *ſeditio* maſc.
Trouble , *rete piſcatoris* fœm.
Voile , *velum muliebr.* maſc.
Voile, *velum navis* fœm.

His

His addito dictiones Compositas quæ vulgò sunt *Masculini Generis.*

Chasse-marée *piscarius vector.*
Chef-d'œuvre *artis specimen.*
Coupe-gorge *locus cædibus infamis.*
Cure-dent *dentiscalpium.*
Cur'-oreille *Auriscalpium.*
Perç-oreille *fullo.*
Port-faix *bajulus.*
Porte-fueille *gerifolium.*
Porte-manteau *clamydophorus.*
Tire-laine *Manticularius latro.*
Trenche-plume. *scalpellum.*

Cap. VI.

De formatione Substantivorum fœmininorum.

Fœminina Substantiva formantur addendo tantum *(e)* ut: *Conseiller* consiliarius, *Conseillere* consultrix.

Desinentia in *(ien & on)* assument *(ne)* ut: *Chien Chienne* canis, *Frippon*, *Fripponne.* nequam.

Prince Princeps, *Comte* Comes assumunt, *(sse) Princesse*, *Comtesse.*

In *eau* mutant in *(elle)* ut: *Maquereau* leno, *Maquerelle* lena.

In *eur* mutant in *(euse)* ut: *Menteur* mendax

dax, *Menteuse*, *Pécheur* piscator, *Pêcheuse*.

Excipe *Acteur* Actor, *Empereur* Imperator, *Electeur* Elector, *Ambassadeur* Legatus, *Tuteur* Tutor, *Inventeur* Inventor, *Amateur* Amator, *Protecteur* Protector, *Conservateur* Conservator, quæ mutant (*teur*) in *trice*, ut: *Empereur*, *Imperatrice* & *Emperiere*,

Vengeur vindex, *Pecheur* peccator, faciunt *Vengeresse*, *Pecheresse*.

Gouverneur Gubernator, *Serviteur* famulus, *Gouvernante*, *Servante*.

Dic *Dieu*, *Déesse*, *Roi*, *Reine*, *Duc*, *Duchesse*, *Abé* Abbas, *Abesse* Abbatissa *Jumeau* gemellus, *Jumelle*, gemella *Nourrissier*, *Nourrice* nutrix, *Neveu* nepos, *Niece* neptis, *Levrier* Canis, *Levrette*, *Fils* filius, *Fille* filia. *Loup* Lupus, *Louve*, *Larron* latro, *Larronesse*.

Sic *Cheval* Equus, *Jument* vel *Cavale* Equa, *Cerf* Cervus, *Biche* Cerva, *Taureau* Taurus, *Vache* Vacca, *Coq* Gallus, *Poule* Gallina.

Observa, quod multa Substantiva *Masculina* nullum habeant usum in *Fœminino genere*, ut: *Possesseur* Possessor *Successeur* successor. &c.

CAP.

Cap. VII.

De formatione Adjectivorun fœmininorum.

Adjectiva in (*e*) desinentia sunt communis generis ut : *Honnéte* honestus vel honesta , *facile* facilis.

In (*é*, d, *is* , & *u*) assumunt (*e*) Gallicum, ut : *Aimé* amatus , *Grand* magnus , *Ami* amicus , *François* Gallus , *Menu* minutus, *aimée grande Amie* , *Françoise*, *&c.*

Excipe 1. *crud* crudus, *nud* nudus, *crue*, *nue*.

Verd viridis , facit *verte*.

2. *Bas* humilis, *gras* pinguis , *gros* crassus , *épais* spissus , quibus additur (*se*) ut : *basse*.

In *al* & *il*, additur (*e*) ut : *Brutal*, brutalis , *civil*, urbanus, *brutale*, *civile*,

Excipe *Gentil* honestus *gentille* , quod admittit duo (*l*) uti & terminata in (*el*,) ut : *cruel* crudelis , *cruelle* & hæc sequentia *fou*, *mou*, *nul* , *folle*, *molle*, *nulle*.

In (*eau*) mutant (*au*) in (*lle*) ut: *beau* pulcher *belle*.

Sed sequente vocali in masculino mutamus (*eau*) in (*el*) ut : *bel enfant*.

In (*on*) assumunt (*ne*) ut : *Bon* , bonus *bonne*.

In

In (*c*) faciunt (*che*) *Blanc* albus, *blanche* alba.

Excipe *Grec*, *Turc*, *public*, quibus additur *que*, ut : *Grecque*.

In (*f*) mutant (*f*) in (*ue*) *chetif* miſer *chetive* miſera.

In (*g*) aſſumunt (*ue*) *long*, *longue*.

In (*l*) additur (*te*) ut : *net* mundus *nette*.

Excipe, *tout*, *prudent*, *patient*, quibus additur (*e*.)

Iis nempe, quæ exeunt in (*ent*) & (*ant*.)

Courtaut, homo ſtaturâ brevis, *noiraut* nigellus, *ruſtaut* rudis, *ſourdaut* ſurdus, mutant (*t*) in (*de*) ut : *Courtaude*.

In (x) mutant in (*ſe*) ut : *heureux* felix *heureuſe*.

Excipe *Doux* dulcis *douce*, *faux* falſus *fauſſe*, *roux* rufus *rouſſe*.

„ *Neuf* & *Nouveau*,

Idem ſignificant *apud Latinos*, ſed in eo differunt *apud nos*, quod *Nouveau* de *rebus creatis* dicatur, ut ſunt *plantæ*, *fructus*, ut : *fruits nouveaus* fructus novi.

Deinde de rebus quæ *Scientâ* aut *Arte liberali* fiunt, ut: *livre nouveau* liber recens editus.

Neuf de rebus *manu artificis* factis, ut: *habit neuf* veſtis nova.

Dicimus *Impropriè*, ſed *eleganter Homme neuf* vir imperitus, *Cheval neuf* equus nondum inſtructus.

C A P.

CAP. VI.

De formatione Pluralis Numeri.

Nomina in (*s*, *x*, & *z*) desinentia in *Singulari*, nihil mutant in *Plurali numero* ut; *François* Gallus & Galli, *Heureux* felix & felices, *Nez* nasus & nasi.

Reliqua vulgò formantur addendo (*s*) ut: *l'Homme* homo, *les hommes*, *la Femme*, fœmina, *les femmes* fœminæ.

Excipe 1, In (*al*) & (*ail*) quæ mutant in (*aux*) ut: *animal*, *animaux*, *travail* labor *travaux* labores.

Sequentia assumunt tantum (*s*) *attirail* apparatus, *bal* chorea, *berçail* cunæ, *bocal* ampulla, *éventail* ventilabrum muliebre, *fatal* fatalis, *maille*, *pale-maille* tudicula pilaris, *naval* navalis, *poitrail* pectorale, *Serail*, Gynæceum Turcicum.

2. Terminata in (*eau*, *eu*, *ou*) volunt (x) ut: *rideau* cortina, *feu* ignis, *clou*, clavus, *chevreu* capreolus, *genou* genu, *verou* pessula.

Sequentia sunt *heteroclita*, *Ciel* Cœlum, *Cieux*; nisi pro *superiori parte cubilis* usurpetur & facit *Ciels*: *œil* oculus *yeux*.

Dum *Universel* est Substantivum facit *Universaux*: Adjectivum autem *Univer-*

sels

sels, ut: *des hommes Universels*; *les cinq Universaux*.

3. Terminata in (*ant*, vel *ent*) mutant (*t*) in (*s*) ut: *enfant* puer, *enfans*, *prudent*, *prudens*.

Sic *tout* omnis, *tous*.

4. *Nomina Numeralia* nihil assumunt in Plurali, ut: *Deux quatre*, *Trois quatre se trouvent en Douze*, tria quatuor repe-riuntur in duodecim, *quatre Mille hommes* quatuor millia hominum.

Ubi obſervabitur quod *Mille* ſit ſemper Adjectivum, niſi capiatur pro *milliari*, ut: *un mille*, *deux milles de chemin*, unum milliare itineris, duo milliaria itineris.

Dicimus, *les uns & les autres*, *les unes*, &c. hi & illi, hæ, &c. Sic *Quatre vints*, octoginta ſeu quater viginti, *deux cens* ducenti, *trois milliers*, *quatre millions*, tres, quatuor milliones.

5. Voces, *Pecuniæ Carnes* aut *Pisces* uſurpantur vulgò in *Singulari*, loco *Pluralis Numeri*, ut: *La Chair* (*la viande*) *& le Poiſſon ſont ici à bon marché*, carnes & piſces hîc vili pretio venduntur. *Je vous donnerai tout mon Argent*, tibi omnes meas tradam pecunias.

„ *Detail* ſummarium, caret quoque *plurali*.

Econtra ſunt quædam nomina, quæ ad imitationem *Latinorum* carent *ſingulari*,

ut:

ut : *les Delices* deliciæ, *des Vergettes* ſcopulæ, *des Mouchettes* emunctoria, *des Pincettes* forcipes, &c.

Cap. IX.

De *Ordine* Subſtantivorum & Adjectivorum.

1. Adjectiva *Numeralia*, *Pronomina Poſſeſſiva Conjunctiva*, *Pronomina Interrogativa* & *Indefinita* Subſtantivis præponuntur, ut : *un mois* menſis unus, *deux ans* duo anni : ſic *le deuxiéme jour* ſecundus dies, *la troiſiéme année*, tertius annus: *Mon Dieu & mon Sauveur* meus Deus & meus Salvator : *quel homme*? qualis homo? *quelle femme*? qualis fœmina? *châque ſemaine* quælibet ſeptimana, *quelque perſonne* nonnulla perſona.

Dicitur tamen, loquendo de *Regibus aut Primatibus Eccleſiæ* : *Louïs Quatorſiéme* Ludovicus Decimus quartus, *Alexandre Sixiéme* Alexander Sextus; ita *Henri Quatre*, *Louïs Treize* Henricus Quartus, Ludovicus Decimus tertius, in quibus omnibus ſubintelligitur *Roi*, *Pape*, Rex, Papa, iſtius nominis.

Deinde dum citantur *Tomi*, aut *Capita* alicujus *Libri*, ut : *Tome premier*, *Livre troi-*

troiſiéme, *Chapitre cinquiéme*, Tomus primus, Liber tertius, Caput quintum.

Méme præponitur Subſt. dum pro *Idem* uſurpatur, ut: *la méme perſonne m'a parlé* eadem perſona mihi locuta eſt.

Sed quando pro *Ipſe* ponitur, poſtponendum eſt, ut: *moi méme* ego ipſe.

Pauca alia Adjectiva *Qualitatis* etiam præponuntur, ut: *petit garçon* parvus puer, *grand ſot* ſtultus in folio, *ſage homme* homo prudens.

Nomina *Colorum*, *Qualitatum Elementarium*, & *Nationum* cum *Participiis Verborum*, Subſtantivis poſtponuntur, ut: *manteau bleu* pallium cęruleum, *feu chaud* ignis calidus, *eau tiede* aqua tepida: *Gentilhomme Allemand* Nobilis Germanus, *la langue Italienne* lingua Italica, *la téte caſſée* caput fractum, *vn raſoir trenchant* novacula acuta.

2. Adjectiva in (*if*) deſinentia Subſtantivis poſtponuntur, ut: *vn homme penſif* vir cogitabundus.

Quędam alia indifferenter pręponuntur aut poſtponuntur, ut: *la Sainte Ecriture*, *l'Ecriture Sainte*, Sacra Scriptura, &c.

Obſerva tandem quod nonnulla Adjectiva, quæ in propria ſua ſignificatione *poſtponuntur*, *Metaphoricè* ſumpta *præponantur*, ut: *vn homme aveugle* vir cæcus, *vne*

vne aveugle paſſion paſſio inconſiderata, *vne choſe certaine* res certa, *vn certain homme* quidam vir, *viande fade* cibus inſipidus, *fade entretien* colloquium indoctum: *terre ferme* continens terra, *ferme propos* conſtans propoſitum, *eau froide* aqua frigida *froide mine* vultus ſubtriſtis: *femme groſſe* gravida mulier, *groſſe femme* mulier obeſa: *Le malin eſprit* diabolus, *vn eſprit malin* malicioſus: *manteau noir* pallium nigrum, *noir crime* crimen atrox *choſe rare* res rara, *rare eſprit* ingenium perdoctum: *ſage femme* obſtetrix, *femme ſage* mulier prudens: *vn ſimple ſoldat* gregarius miles, *vn homme ſimple*, incautus: ſic, *vn ſimple*, *vne ſimple* fatuus, fatua, *vne jupe verte* viridis toga, *vne verte reprimande* aſpera correctio, *fruit meur* fructus maturus, *vne meure deliberation* propoſitum probè examinatum &c.

CAP. X.

De Gradibus Comparationis.

Nota Comparativi gradus eſt *Plus*, ut: *grand* magnus, *plus grand* major.

Sequentia *Semi-Latina* exprimuntur uno verbo ſine adminiculo dictionis *Plus*.

Bon

Bon bonus, *meilleur* melior, *mauvais* malus, *pire* pejor; deinde *petit* parvus, *plus petit*, *moindre* minor.

Moindre ad *Qualitatem* personæ refertur, *plus petit* ad *Quantitatem*, ut: *les plus petits ne sont pas les moindres*, qui sunt minimi corpore non sunt tamen aliis inferiores.

Ita & eorum *Adverbia*, ut: *bien* benè, *mieux* melius, *mal*, malè, *pis*, vel, *plus mal* pejus, *peu* parum, *moins* minus.

Dicito *plus homme de bien*, *plus femme de bien*, vir magis probus, fœmina magis proba; & non *homme de mieux*.

Ablativus *Latinorum* resolvitur *Gallicè* per *Nominativum* cum Particula *Que*, ut: *Mon frere est plus sage que ma sœur*, meus frater est sapientior meâ sorore, vel quam mea soror.

Superlativus exprimitur, dum res extollitur, nullâ factâ *Comparatione* cum particularum sequentium aliquâ, *tres*, *bien*, *fort* quę sunt synonyma. Ut *tres-grand*, *fort grand*, *bien grand*, maximus.

Quando verò plures res simul comparantur, & una aliis præfertur, utimur *Comparativo gradu*, *Articulo Definito*, ipsi præfixo & *Comparativus Partitivus* à nonnullis vocatur, ut: *la Rose est la plus belle de toutes les fleurs* Rosa est pulcherrima florum. *Le Lion est le plus fort de toutes les*

les bétes, Leo eſt fortiſſimus omnium beſtiarum.

Sequente Relativo *Qui*, *Que*, adſciſcit Verbum ſequens in *Conjunctivo*, ut: *c'eſt le plus genereux que l'on ait jamais veu*, eſt generoſiſſimus omnium, *voila le meilleur homme, qui ſe puiſſe rencontrer*, en optimum virum mundi.

Vide Caput XIV. de Syntaxi.

Tandem *Eminentiſſime*, *Illuſtriſſime*, *Reverendiſſime* & *Sereniſſime* inter *Superlativos* numerari queunt.

CAP. XI.

De Numeris.

Numeri ſunt *Cardinales*, *Ordinales*, *Proportionales*, *Collectivi* & *Diſtributivi.*

Cardinales.

un	1	dix	10
deux	2	onze	11
trois	3	douze	12
quatre	4	treize	13
cinq	5	quatorze	14
ſix	6	quinze	15
ſept	7	ſeize	16
huit	8	dix-ſept	17
neuf	9	dix-huit	18

dix neuf	19	quatre vingts	80
vingt	20	quatre vingts & dix	90
vingt & vn	21	cent	100
vingt deux	22	mille	1000
trente	30	dix mille	10000
quarante	40	cent mille	100000
cinquante	50	million	1000000
ſoixante	60		
ſoixante & dix	70		

Septante, Huitante, Nonante ſunt termini Arithmetici.

Dicimus tamen *les Septante Interpretes* Septuaginta Interpretes, & non, *les Soixante & dix.*

Obſerva 1. Dum numerum aliquem cum dubio proponimus, dicendum eſt *un ou deux*, unum vel duo; *deux ou trois*, duo vel tria, & ita uſque ad decem: deinde *dix ou douze*, decem vel duodecim, *douze ou quinze* duodecim aut quindecim, *quinze ou vingt* quindecim vel viginti, *vingt ou trente* viginti aut triginta, *ſoixante ou quatre vingts* ſexaginta vel octoginta, *quatre vingts ou cent* octoginta vel centum, &c.

2. Dicimus *dans huit jours* poſt octiduum, *dans quinze jours* poſt duas hebdomadas, *dans un mois, ſix ſemaines, deux mois, neuf ſemaines, deux mois & demi, trois mois*, & non, *un quart d'an.*

Ordi-

Ordinales.

quantiéme quotus
premier primus
second, *deuxiéme* secundus
troisiéme tertius.

Et ita usque ad *vingtiême*: Postea dicendum *vingt & uniéme*, *vingt-deuxiéme*, & non *vingt & premier*, *vingt-second.*

Loquendo de *Horis*, utimur *Cardinali Numero* & non *Ordinali*, ut: *il est six heures*, *neuf heures*, *midi*, *minuit* & non *douze heures*, est hora sexta, nona, duodecima, &c.

Proportionales.

simple simplex
double duplex
triplex triplex
quadruple quadruplex
centuple centuplum.

Cætera non sunt in usu & eorum loco dicimus, *cinq fois plus*, *six fois plus*, quinquies plus, &c.

Collectivi.

un à un alternatim
deux à deux bini
six à six seni
sept à sept septeni
&c.

couple, *paire* } par
demi-douzaine sesquiduodenus.
huitaine octonarius
&c.

In Poësi dicitur, *un Quatrain* Poëma constans quatuor versibus, *un Sizain* sex, *un Huitain* octo, *un Dizain* decem.

Et loco dicendi, *une Centaine*, vel *la Centaine* dicitur nonnunquam, *un Cent*, *le Cent*, ut: *combien vendez vous le eent de ces pommes?* quanti vendis centum ex illis malis? *le quartron de ces noix* viginti quinque ex istis nucibus.

Tandem *Paire* de rebus paribus ordinario conjunctis dicitur, ut: *une paire de souliers* par calceorum: *Couple* de rebus quidem paribus, sed non semper conjunctis, ut: *une couple d'œufs*, par ovorum.

De Diminutivis.

Substantiva & *Adjectiva Masculina*, suum diminutivum in (*et*) & (*elet*) faciunt, ut: *livre* liber, *livret* libellus, *manteau* pallium, *mantelet* palliolum.

Fœminina in (*ette*) & (*elette*) ut: *femme*, mulier *femmelette* muliercula, *fille* puella *fillette* puellula.

Sequentia sunt notanda.

Arbre arbor, *arbrisseau* arbuscula, *âne* asinus, *ânon* asellus, *Avocat* Advocatus, *Avocasseau* miser Causidicus, *Berger* pastor ovium, *Bergerot* adolescentulus. *Bergere* ovium custos, *Bergeronnette* adolescentula custos. *Barbeau* barbus, *Bar-*

billon

billon barbellus, *Beuf* bos, *bouveau ou bouvillon* juvencus, *Brochet* Lucius piscis, *brochetpn* luciolus, *beau* pulcher, *bellot* bellulus, *belle* formosa, *bellotte* subelegans. *Chapon* capus, *chaponneau* capus junior, *chambriere* ancilla, *chambrillon* ancillula *Chat* felis, *chatton* catalus. *Diable* diabolus, *diabloton* demonculus. *Lapin* cuniculus, *lapreau* cunicellus. *Lievre* lepus, *levraut* lepusculus. *Lion* leo, *Lionceau* leunculus. *Loup* lupus, *louveteau* lupi catulus, *Pigeon* pullus columbarum, *pigeonneau*, pullulus, *Rue* platea, *ruette* vel *ruelle* plateola.

Cap. XII.

De Pronominibus.

Pronomina distribuuntur in *sex Ordines*, & sunt *Personalia Possessiva*, *Demonstrativa*, *Relativa*, *Interrogativa & Indefinita*: Quæ dividuntur iterum in

Conjunctiva & *Absoluta*.

De Pronominibus Personalibus Conjunctivis.

Personalia Conjunctiva nonnisi *Verbis* & his duobus Adverbiis *Voici*, *Voila* ecce, præfixa, usurpantur, & sine *Articulo* inflectuntur.

 Sin-

Singularis.

Nom. { *je* ego, *tu* tu, *il* ille, *elle* illa
Dat. { *me* mihi, *te* tibi, *lui* ipsi, *se* sibi
Acc. { *me* me, *te* te, *le* illum, *la* illam, *se* se.

Pluralis.

Nom. { *nous* nos, *vous* vos, *ils* illi, *elles* illæ
Dat. { *nous* nobis, *vous* vobis, *leur* ipsis
Acc. { *nous* nos, *vous* vos, *les* illos, illas, *se* se.

Hæc Pronomina carent *Genitivo* & *Ablativo*, ut videri poteſt, ſi autem iſtis caſibus utendum ſit, recurrendum ad *Pronomina Perſonalia Abſoluta*.

In Oratione *Recta* id eſt non *Interrogativa* Verbis præponuntur, ut: *je me confeſſe* confiteor, *tu me fais ſçavoir* tu mihi notum facis, *vous m'honorez* tu me honoras, *me voici* ecce me, *le voila* ecce eum.

1. Excipe *Imperativum modum*, abſque Negatione, cui poſtponuntur, ut: *Prenez la* cape eam, *ſignifiez le nous* notum fac nobis illud, *faites le leur ſçavoir* fac illud ipſis manifeſtum.

Sed loco *Me* & *Te* utendum eſt, *Moi* & *Toi*, ut *Tenez moi* teneas me, *connois toi toi-méme*, noſce te ipſum,

Dum Phraſis eſt *Negativa*, Pronomen Ver-

Verbo præponitur, ut: *ne la prenez pas* ne eam capias.

2. *Interrogatione* factâ, aut *Repetitione*, ut: *avez vous* habes-ne, *dit-il* inquit ille, *cela dis je* illud inquam.

4. Optando, ut: *ainsi soit il* amen, *que ne suis-je mort* utinam mortuus essem!

Vel præcedentibus hisce Adverbiis *Si* pro *tamen*, *neantmoins*, *toûjours*, *aussi*, *peut-étre*, &c. ut: *si faut-il croire que*, tamen credendum est, quod, *toûjours ne viendrez vous pas* æquè benè non venies.

4. Cùm Verbis sequentibus *Parler* loqui, *Boire* propinare, *Penser* cogitare, *se Fier* confidere, *Etre* pertinere, ut: *vous parlerez à lui*, vel, *vous lui parlerez* tu cum eo loquêris, *beuvez à moi*, & *je boirai à vous* propina mihi & tibi propinabo.

Observa 1. *Vous* pro *Tu* usurpatur urbanitatis ergo, *Nomenque* in singulari adsciscit; licet *Verbum* in plurali ponatur, ut: *vous étes mon ami* tu es meus amicus.

2. *Nomine* præposito, *Pronomen* abesse debet, ut: *l'homme est creé à l'image de Dieu*, non, *l'homme il est*, &c. homo est creatus ad imaginem Dei.

Verum dum fit *Interrogatio*, *Pronomen* postponitur *Nomini* & *Verbo*, ut: *l'Homme est il creé?* Homo est ne creatus?

Tandem dum *Pronomen Personale* immediatè *Verbo* præponi non potest, lo-

co *je, tu, il*, utendum est *moi, toi, lui*, ut: *moi, qui suis vôtre serviteur*, ego sum tuus famulus: *Lui étant tombé malade fit venir ses amis*, cum ipse incidisset in morbum, convocavit amicos suos: *Eux, elle, & moi sommes encore en vie*, vel, *nous sommes*, &c. illi, illa & ego adhuc vivimus.

Absoluta.

	Singul.	Plur.
Nom Acc.	*moi* ego	*nous* nos
Gen. Abl. *de*	*toi* tu	*vous* vos
Dat. *à*	*lui* ipse	*eux* ipsi
	elle ipsa	*elles* ipsæ.
	soi sui	

Hæc sine *Verbo* construuntur, vel ei postponuntur, ut: *de qui parlez vous?* de quo loqueris? *De toi*, de te, *de lui*, de eo, *d'elle*, de eâ, *d'eux*, de ipsis.

A qui parlez vous? cum quo loqueris? *A lui* ipsi, *à elle*, *à eux* ipsis.

Cum Præpositionibus, *Si Dieu est contre moi, qui sera pour moi?* Si Deus est contra me, quis erit pro me.

CAP. XIII.

De Possesivis.

Possessiva conjunctiva.

Nom. & Acc.	*mon* meus	*ma* mea
Gen. & Abl. *de*	*ton* tuus	*ta* tua
Dat. *à*	*son* suus	*sa* sua.

Communis Gen.

Nom. & Acc.	*nôtre* noster vel nostra
Gen. & Abl. *de*	*vôtre* vester vel vestra
Dat. *à*	*leur* ipsorum, vel ipsarum.

Pluralis.

Nom. & Acc.	*mes* mei, meæ
Gen. & Abl *de*	*tes* tui, tuæ
Dat. *à*	*ses* sui, suæ
	nos nostri, vel nostræ
	vos vestri vel vestræ
	leurs ipsorum &c.

Hæc cum *Substantivis* construuntur, ut: *mon Pere* Pater meus, *ma Mere* Mater mea, *son livre* liber ipsius.

Licet *mon*, *ton*, *son* sint Pronomina Substantivis, *masculini generis* præponenda, tamen locum habent etiam ante Nomina *fœminini generis*, quæ incipiunt à *vocali* aut *H muto*, ut: *mon ame* mea ani-

ma, *ton épée* tuus gladius, *ſon hôteſſe* ipſius hoſpita.

Excipe, *amie & amour* pro perſonâ amatâ, ut: *m'amie, m'amour* corculum meum.

Son, Sa, Ses, Leur, Leurs.

Hæc ſunt benè notanda quoad uſum.

Utimur *ſon, ſa*, cum de uno *Poſſeſſore*, & unâ re *Poſſeſsâ* eſt quæſtio, ut: *l'avaricieux aime moins ſon Dieu que ſa bourſe* avarus Deum ſuum minus diligit quam crumenam ſuam.

Ses cum de uno *Poſſeſſore*, & rebus plurimis *Poſſeſsis*, ut: *le bon pere châtie ſes enfans*, bonus pater caſtigat liberos ſuos.

Leur cum de pluribus *Poſſeſſoribus* & de unâ re *Poſſeſsâ* agitur, ut: *Lés Etats de ces Provinces ont conſervé leur liberté au prix de leur ſang*, Domini Ordines harum Provinciarum libertatem ſuam tuiti ſunt pretio ſanguinis ſui.

Leurs cum de pluribus *Poſſeſſoribus* & rebus plurimis *Poſſeſsis*, ut.: *Les Rois ne dependent pas de leurs ſujets*, Reges non dependent à ſubditis ſuis.

Hæc Pronomina non uſurpantur ubi ſuperflua forent, ut: *Rendez moi mon livre, que je vous ai prété*, Dicito, *le livre*, redde mihi librum, quem tibi commodavi.

Nec dicendum *j'ai mal à mon ventre, à ma tête*, doleo ventre, capite, dicito, *au ventre, à la tête.*

Possessiva Absoluta.

Masc. Gen.

Nom. & Acc.	*le*	*mien*	meus
Gen. & Abl.	*du*	*tien*	tuus
Dat.	*au*	*sien*	suus

Fœm. Gen.

Nom. & Acc.	*la*	*mienne*	mea
Gen. & Abl.	*de la*	*tienne*	tua
Dat.	*à la*	*sienne*	sua

Masc. Gen.

Nom. & Acc.	*le*	*nôtre*	noster
Gen. & Abl.	*du*	*vôtre*	vester
Dat.	*au*	*leur*	ipsorum.

Fœm. Gen.

Nom. & Acc.	*la*	*nôtre*	nostra
Gen. & Abl.	*de la*	*vôtre*	vestra
Dat.	*à la*	*leur*	ipsarum.

Pluralis.

Masc. Gen.

Nom. & Acc.	*les*	*miens*	mei
Gen. & Abl.	*des*	*tiens*	tui
Dat.	*aux*	*siens*	sui

Fœm. Gen.

Nom. & Acc.	*les*	*miennes* meæ
Gen. & Abl.	*des*	*tiennes* tuæ
Dat.	*aux*	*siennes* suæ

Com. Gen.

Nom. & Acc.	*les*	*nôtres* nostri, vel nostræ
Gen. & Abl.	*des*	*vôtres* vestri, vel vestræ
Dat.	*aux*	*leurs* ipsorum vel ipsarum.

Hæc sine *Substantivis* construuntur, sed *ea* subaudiuntur, ut: *il faut rendre à chacun le sien* unicuique suum tribuendum est, *j'aporterai du Mien, & vous du Vôtre* ego de meo tribuam & tu de tuo.

Nota. Illa Pronomina, mediante *Verbo*, *à Substantivis* sejuncta, sine *Articulo* usurpari, ut: Ce *jardin lá est mien, & celui ci est vôtre*; Rectius, *est à vous, vous aapartient*, ille hortus est meus, hic tuus.

CAP.

Cap. XIX.
De Demonstrativis.
Conjunctiva.

Singul.

Masc. Gen.

Nom. & Acc.
Gen. & Abl. *de* } Ce, Cet hic vel ille.
Dat. *à*

Fœm. Gen.

Nom. & Acc.
Gen. & Abl. *de* } *Cette* hæc vel illa.
Dat. *à*

Plural.

Utriusque Generis.

Nom. & Acc.
Gen. & Abl. *de* } *Ces*, hi, hæ, illi, illæ.
Dat. *à*

Ce præponitur *Substantivis à Consonanti* incipientibus, ut: *ce cheval* hic equus.

Cet verò Usurpatur ante *Substantiva à vocali vel* (*h*) *muto* incipientia, ut: *cet enfant* ille puer, *cet homme* ille vir.

Nota quod Ce positum pro *Cela* vel *Ceci*, id est *Neutraliter*, absolutè usurpatur;

& caret Numero plurali *Relativumque* post se petit, ut: *ce que vous dites, est bon*, id quod dicis est bonum, *ce à quoi vous pensez & de quoi vous parlez, ne s'accordent pas*, illud quod cogitas & de quo loqueris, non conveniunt.

Sine *Relativo* utendum est *Ceci* hoc, *Cela* illud, ut: *ceci m'agrée* hoc mihi placet: *cela me déplait* illud mihi displicet.

Absoluta.

Masc. Gen.

	Sing.	Plur.
Nom. Acc. / Gen. Abl. *de* / Dat. *à*	*Celui* ille.	*Ceux* illi.

Fœm. Gen.

	Sing.	Plur.
Nom. Acc. / Gen. Abl. *de* / Dat. *à*	*Celle* illa.	*Celles* illæ.

Cetui exoluit, æquè benè ac ipsius Fœmininum *Cette*, *Absolute* positum.

Hæc sine *Substantivis* construuntur & post se *Relativa* ordinariò admittunt, ut: *celui, que vous aimez : celle, qui vous aime*, ille, quem amas: illa, quæ te amat.

Adduntur *ci*, vel *ici* & *là*, ad majorem *Demonstrationem*; sed absente *Relativo*, ut:

Ce-

Celui-ci hic, *Celui-là* ille, *Celle-ci* hæc, *Cella-là* illa, *Ceci* hoc, *Cela* illud.

Ubi ſatis apparet quod (*ci*) rem proximam & (*là*) remotam deſignat, ut: *j'aime mieux ce livre ci que celui là* malo hunc librum illo. *Je mange plus volontiers de cette viande-ci que de celle là*, veſcor libentius hâc carne quam illâ:

Et etiam per hæc exempla, quod *ci* & *là* Pronominibus *Conjunctivis*, *mediante Subſtantivo*; *Abſolutis* verò *immediatè* ſubjungantur.

Cap. XV.

De Relativis.

Qui utriuſque generis & numeri.

Nom		*Qui*, qui, quæ
Gen. & Abl.	*de*	*Qui*, cujus, à quo, vel à quâ quorum, quarum & à quibus
Dat.	*à*	*Qui*, cui, quibus.
Accuſ.		*Que*, quem, quam, quos, quas.

Maſc. Gen.

Nom. Acc.	*Lequel* qui, quem
Gen. Abl.	*Duquel* cujus, à quo
Dat.	*Auquel* cui.

Plur.

Plur. Num.

Nom. Acc. { *lesquels*, qui, quos
Gen. Abl. { *desquels*, quorum, à quibus.
Dat. { *ausquels*, quibus.

Fœm. Gen.

Nom. Acc. { *laquelle*, quæ, quam
Gen. Abl. { *de laquelle*, cujus, à quâ
Dat. { *à laquelle*, cui.

Plur. Num.

Nom. Acc. { *lesquelles*, quæ, quas
Gen. Abl. { *desquelles*, quarum, à quibus.
Dat. { *ausquelles*, quibus.

Utriusque Gen.

Nom. Acc. { *Quoi*, qui, quæ, &c.
Gen. Abl. *de* { *Quoi*, cujus, &c.
Dat. *à* { *Quoi*, cui.

Deinde, *Le*, *La*, *Les*, *Y*, *En*, *Dont*, & *Où*, Quorum omnium notitia admodum necessaria est.

Qui & *Lequel* in eo differunt, quod *Qui* in Casibus Obliquis *Personis* tantum tribuatur, ut: *c'est une personne, de qui j'ai reçu beaucoup de faveurs*, est à quo multis affectus fui favoribus, &c.

C'est une fille, à qui j'ai donné mon cœur, puella

puella eſt, cui cor meum dedi.

Non verò *c'eſt un cheval, de qui*, ſed *dont*; Non *à qui*, ſed *auquel*.

Idem intellige de rebus *inanimatis*; itaque non dices, *C'eſt un jardin, de qui je retire beaucoup de fruits*, ſed *duquel* vel *dont* hortus eſt ex quo multos colligo fructus.

Neque, *c'eſt une vertu, à qui vous étes fort porté*, ſed *à laquelle*, eſt virtus ad quam valde propenſus es.

Excipe Res per *Proſopopœiam* animatas & *Phraſes Perſonales*, ut: *la renommée, de qui vous faites tant d'eſtime* fama, quam tanti facis.

Voila une fleur, à qui je me ſuis donné, ecce florem, cui me ipſum dedi.

,, Utendum eſt *Lequel* & non *Qui*, dum duo *Subſtantiva* diverſi generis præcedunt & *Relativum* ad remotius refertur, ut: *voila l'opinion de l'Auteur, laquelle je vous prie, de ſuivre*, & non, *que je vous prie de ſuivre.*

Dum ſermo eſt de *Rebus Inanimatis* & non de *Perſonis*, poſſumus uti *quoi*, ut: *voila la barque, ſur quoi j'ai paſſé la mer* en navem, in quâ mare trajeci: *voici la maiſon, de quoi je vous ai parlé*, vel, *dont*, ecce domum, de qua tibi locutus ſum: *c'eſt le vice, à quoi il eſt fort ſujet* eſt vitium, ad quod admodum pronus eſt.

NB. *Le*, *la*, *les*, *Nominibus* præpoſita ſunt *Articuli*, ut: *le Ciel* cœlum, *la terre* terra, *les hommes* homines, *les femmes* fœminæ.

Verbis, vel *Pronomina Perſonalia*, ut dictum ſuprà cap. XII. vel *Relativa*, ut apparet ex exemplis ſequentibus & præponuntur *Verbis Accuſativum* exigentibus, ut: *priez vous Dieu?* oras-ne Deum? *Ouï, je le prie tous les jours* maximè illum oro quotidiè.

Avez vous la crainte de Dieu devant les yeux? habes ne timorem Dei ob oculos? *Ouï je l'ai* imò habeo.

Liſez vous la Sainte Ecriture? Legis-ne Sacram Scripturam? *ouï, je la lis, non, je ne la lis pas* ſic, eam lego, non, eam non lego.

Cherchez vous les honneurs? quæris-ne honores? *ouï, je les cherche*, ſic, eos, quæro.

Aimez vous les bonnes lettres? amas tu bonas literas? *ouï, je les aime*, imò, eas amo.

Y, Præponitur *Verbis*, quæ regunt *Dativum.* ut: *étes vous portez à la vertu?* teneris-ne Virtutis amore? *Ouï, j'y ſuis, porté* imò, teneor.

Refert etiam locum, *in Quo* & *ad Quem*, ut: *Monſieur, eſt-il au logis?* eſt-ne Dominus domi? *ouï, il y eſt*, imò, eſt.

Ira-t-il à Paris, en France? ibit-ne Pariſios,

risios, in Galliam? *non, il n'y ira pas*, non, non ibit.

En, id est, illius, illorum, illarum. de illo, illâ, de illis.

1. Denotat *Personam* aut *Rem*, ut: *Qu'avez vous reçû de Monsieur?* Quid à Domino accepisti? *J'en ai reçû*, &c.

Que croiez vous de cela? Quid credis de eo? *j'en croi*, credo.

2. *Locum* refert, ut: *venez vous de Paris?* venis-ne Parisiis? *j'en viens*, ita venio.

3. Refertur ad *partem* rei alicujus, ut: *avez vous du pain?* habes-ne panem? *j'en ai*, habeo.

Si autem de pane integro, est quæstio, dicendum, *avez vous le pain?* habes-ne panem: & Respondendum, *je l'ai.*

Observa *il y en a* sunt nonnulli.

Tout le monde m'en veut, omnes in me excandescunt.

De hac particulâ, plura vide *Capite de Præpositionibus.*

Dont.

Usurpatur pro *cujus, quorum, quarum, de quo, de quibus*, ut: *l'épée, dont vous m'avez blessé*, quo me sauciasti ense.

Les hommes, dont vous m'avez parlé, de quibus mihi locutus es hominibus.

Ou.

Ponitur etiam eleganter pro *auquel*: id est loco *Dativi*, vel *Præpositionis* (*in*) ut: *le triste état, où je vous ai laißé*, melius quam, *auquel*, tristis status, in quo te reliqui.

Cap. XVI.
De Interrogativis.
Conjunctiva.

Nomini præponuntur & Articulo *Indefinito* inflectuntur.

		Masc.	Fœm.
Nom. & Acc.			
Gen. & Abl.	de	*Quel?* quis?	*Quelle?* quæ
Dat.	à		

Plural.

		Masc.	Fœm.
Nom. & Acc.			
Gen. & Abl.	de	*quels?* qui	*quelles?* quę
Dat.	à		

Substantivis præponenda, ut: *Quel livre avez vous?* quem librum habes? *Quelle faveur pretendez vous?* quem favorem prætendis *Quelles gens sont ce là?* Quales homines sunt ibi?

Ab-

Absoluta.

Masc. Gen.

Nom. & Acc.	*lequel* quis
Gen. & Abl.	*duquel* cujus
Dativo.	*auquel* cui.

Fœm. Gen.

Nom. & Acc.	*laquelle* quæ
Gen. & Abl.	*de laquelle* cujus
Dativo.	*à laquelle* cui.

Plural.

	Masc.	*Fœm.*
Nom. & Acc.	*lesquels* qui	*lesquelles* quæ
Gen. & Abl.	*desquels* quorum	*desquelles* quarum
Dativo.	*ausquels* quibus	*ausquelles* quibus.

Utriusque Generis & Numeri.

Nom. & Acc.		
Gen. & Abl.	de	*Qui* Quis, quæ &c.
Dat.	à	
Nom. & Acc.		
Gen. & Abl.	de	*Quoi* Quid?
Dat.	à	

Quoi

Quoi, *Que* Neutraliter ſumuntur & Rei, non Perſonę inſerviunt, ut: *Que dites vous?* quid dicis? *Qu'eſt cela?* Quid hoc eſt, &. Uſurpatur ſolum in *Nominativo* vel *Accuſativo* caſu.

De quoi parle-t-on? cujus rei fit mentio?

A quoi paßerons nous le tems? cui rei tempus tranſigemus?

Qui & *Lequel* differunt, quod *Qui* de magis Univerſali ponatur, *Lequel* de Peculiari, ut *Qui a fait cela?* Quis hoc fecit? *un de mes freres* unus fratrum meorum. *Lequel?* quis eorum:

Hęc Interrogativa junguntur quoque Verbis *Scavoir & ne Sçavoir pas*, ut:

Je ne ſçai quel livre c'eſt, neſcio qualis liber ſit.

Je ne ſçai lequel choiſir, neſcio quem eligam.

Nous ſçavons qui vous étes, qui elle eſt, ſcimus qui tu es, quæ illa eſt.

C'*eſt une admirable choſe, que ce je ne ſçai quoi*, mirum eſt illud neſcio quid.

CAP.

CAP. XVII.

De Indefinitis.

Indefinita *Personam* aut *Rem* aliquam Incertam significant & sunt *Conjunctiva* vel *Absoluta.*

Conjunctiva.

Sunt sequentia.

Quelque aliquis, *Quelconque* ullus, *Chaque* quilibet, *Aucun* nullus, *Nul* nullus, *Certain* quidam, *Autre* alius, *Plusieurs* plurimi, *Force* multi, *Tout* omnis, *Tel* talis, *Méme* ipse.

Quæ cum *Substantivis* construuntur & *Articulo Indefinito* inflectuntur, eorumque usus per exempla sequentia demonstrabitur.

Quelque ut: *avez vous quelque livre* habes-ne aliquem librum, *quelque chose* aliquam rem, *quelques beaux ouvrages*? aliqua egregia opera?

Ils étoient quelque cinquante hommes erant circiter quinquaginta viri.

Quelque mine que vous me faciez qualemcumque vultum mihi facias.

Quelconque, ut: *je ne voi raison quelconque en lui* nullam in eo video rationem.

Chaque, ut: *Chaque jour a son nom* quilibet dies habet nomen suum.

Et

Et non uſurpatur in plurali numero, niſi cum Nominibus ſingulari carentibus.

Aucun, ut : *je n'ai lû aucun Auteur, qui m'agrée tant, &c.* nullum legi Auctorem, qui mihi ita arrideat, &c.

Uſurpatur ſemper *Negativè*; nec dicas, *aucuns vous cheriſſent*, ſed, *quelques-uns*.

Nul, nulle, ut : *vous n'avez nulle occaſion, nul ſujet de vous plaindre* nullam habes occaſionem querendi;

Uſurpatur pro *pas un, point de*.

Certain, ut : *un certain Cavalier* quidam nobilis, *une certaine Dame* quædam matrona, *il y a de certaines gens* ſunt nonnulli.

Autre, ut. *un autre homme* alius vir, *une autre femme* alia mulier, *je n'ai point d'autres livres, d'autres penſées*, nullos alios habeo libros, alias cogitationes.

Pluſieurs, ut : *pluſieurs mois, pluſieurs années* multi menſes, anni :

Et eſt ſemper *plur. num.*

Force, pro *beaucoup*, ut : *nous ſouffrons force maux* multa patimur mala, *il boit force vin, & moi, force eau* multum vini bibit & ego multum aquæ.

Tout, ut : *tout homme, toute femme*, quilibet vir, quælibet mulier, *Toute la terre* omnis terra : *Tout riche que vous étes, vous mour-*

mourrez, licet dives ſis, morieris.

Tel, *Telle*, ut: *j'aime un tel homme*, *une telle femme*, amo talem virum, talem fœminam: *c'eſt un livre tel quel*, eſt liber mediocris bonitatis: *Tel que vous ſoiez* qualiſcumque ſis: *Tel ſe plaint*, *qui n'eſt point malade*, talis queritur qui non ægrotat.

Méme, *mémes*, ut: *je le ferai moi méme* ego ipſe faciam: *ils le verront eux mémes*, ipſimet videbunt; *Le Prince méme y étoit*, Princeps ipſe intererat.

Conjunctum *Verbis* fit Conjunctio, ſeu Adverbium, ut: *&* *mémes il pleuroit* quin etiam flebat.

Vide Cap. de Ordine Subſt: & adject:

Abſoluta.

Sunt *Quelcun*, vel *Quelqu'un* aliquis, *Chacun* quilibet, *Quiconque*, quicunque, *Autrui*, alter, *Perſonne* nemo, *Pas un* nullus.

Quelqu'un, ut: *quelqu'un vous demande* aliquis te petit: *voila de belles fleurs*, *en voulez vous quelques-unes* en pulchros flores, cupis ne habere aliquos.

Chacun, ut: *chacun cherche ſon profit* quilibet quærit ſuum commodum. *Chacun aime ſa chacune* quilibet amat ſuam amaſiam.

Quiconque, ut: *quiconque vous a dit cela*, *a men-*

a menti quicumque tibi illud dixit, mentitus eſt.

Autrui, ut: *je ne veux rien d' autrui* nihil volo ab alio.

Perſonne, ut: *perſonne n'eſt parfait* nemo eſt perfectus, *je ne connois perſonne, qui l'oſe entreprendre* neminem novi, qui illud ſuſcipere audeat:

In hac ſignificatione caret plurali numero & eſt ſemper maſc. gen.

Pro *Perſona* Latinorum eſt fœm. gen, ut: *la perſonne, que vous aimez, eſt arrivée* illa perſona, quam diligis, venit.

Pas un, ut: *pas un d'eux ne viendra* nullus eorum veniet.

LIBER TERTIUS.

Cap. I.

De Verbis.

Verbum est Dictio quæ significat, *Esse*, *Agere* vel *Pati* cum circumstantiis *Temporum*, *Præsentis*, *Præteriti* & *Futuri*.

Verbum est vel { Activum, ut *j'aime* | Passivum ut *je suis aimé*. }

Activum est, vel {

Transitivum, cujus actio transit in subjectum externum ab agente, ut: *aimer Dieu* Deum amare.

Neutrum, quod denotat actionem sine motu exteriori animi aut corporis, ut: *dormir* dormire.

Reflexivum, quod actionem suam reflectit in agentem ipsum, & ita unum & idem *agit* & *patitur*, id quod à Philosophis vocatur actio immanens, ut: }

s'aimer, *se fraper*, se amare, se percutere.

Præterea duo ſunt verba, quæ *Auxiliaria* vocantur, quia nulla Verba conjugari poſſunt abſque auxilio verborum *Avoir* habere, & *Etre* eſſe.

Horum igitur Conjugationem præmittemus.

Avoir in temporibus compoſitis *Sibi ipſi* inſervit, verbo *Etre*, *Tranſitivis* & *quibuſdam Neutris*.

Infinitivus.

Avoir *Habere.*

Participia.

aiant *habens* { *activum*
eu *habitus* { *paſſivum*

& pronuntiatur, ac ſi ſcriptum eſſet (*ü.*)

Indicativus.

Præſens.

Sing.		Plur.	
j'ai	*habeo*	nous avons	*habemus*
tu as		vous avez	
il a		ils ont, *uti* is ont.	

Imperfectum.

j'avois, *uti* j'avais		nous avions	*habebamus*
tu avois	*habebam*	vous aviez	
il avoit		ils avoient, *quaſi* is avet.	

Per-

Perfectum simplex

j'eus *vel* j'ûs	nous eumes *habuimus*
tu eus *habui*	vous eutes
il eut	ils eurent.

Compositum.

j'ai eu *vel* û	nous avons eu
tu as eu *habui*	vous avez eu
il a eû	ils ont eu

Plusquam perfect.

j'avois	eu *habueram*	n. avions	eu
tu avois		v. aviez	
il avoit		ils avoient	

Futurum.

j'aurai	nous aurons
tu auras *habebo*	vous aurez
il aura	ils auront.

Imperativus.

. . . . .	aions *habeamus*
aie *habe*	aiez
qu'il ait	qu'ils aient.

Conjunctivus.

Præsens

j'aie tu aies *habeam* il ait	nous aions vous aiez ils aient.

Imperfectum I.

j'eusse tu eusses *haberem* il eût	nous eussions vous eussiez ils eussent.

Imperfectum II.

j'aurois tu aurois *haberem* il auroit	nous aurions vous auriez ils auroient.

Perfectum.

j'aie tu aies il ait	eu *habuerim*	nous aions vous aiez ils aient.	eu

Plusquam perfect. I.

j'eusse tu eusses il eût	eu *habuissem*	nous eussiõs vous eussiez ils eussent	eu

Plusquam perfect. II.

j'aurois tu aurois il auroit	eu *habuis-sem*	nous auriõs vous auriez ils auroient	eu

Futurum.

j'aurai tu auras il aura	eu *habuero*	nous aurons vous aurez ils auront	eu

Infinitivus.

Præsens & Imperfect. avoir, *habere*
Perfect. & Plusq. perf. avoir eu, *habuisse.*

Participia.

Præsens & Imperf. aiant, *habens*
Perfect. & plusq. perf. aiant eu, *cum habuerim, vel, habuissem.*
Passivum eu *habitus*, euë *habita.*

Gerundia.

d'avoir *habendi*
en aiant *habendo*
pour avoir *ad habendum.*

Etre, *esse*.

Inservit *Verbis Passivis*, in omnibus temporibus & modis, *Reciprocis* ac *Neutris plerisque* in temporibus compositis.

Infinitivus.

Etre.

Participia.

étant *essens*; vel, *existens* } *Activum.*
été *qui fuit* } *Passivum.*

Indicativus.

Præsens.

Sing.		Plur.	
je suis		nous sommes	
tu es	*sum*	vous étes	*sumus*
il est		ils sont.	

Imperfectum.

j'étois		nous étions	
tu étois	*eram*	vous étiez	*eramus*
il étoit		ils étoient	

Perfectum simplex.

je fus		nous fumes	
tu fus	*fui*	vous futes	*fuimus*
il fut		ils furent.	

Con-

Compositum.

j'ai tu as il a	été *fui*	nous avons vous avez ils ont	été *fuimus*

Plusquam perfectum.

j'avois tu avois il avoit	été *fueram*	n. avions v. aviez ils avoient	été

Futurum.

je ſerai tu ſeras il ſera	*ero*	nous ſerons vous ſerez ils ſeront	*erimus*

Imperativus.

. . . . . ſoions *ſimus*
ſois *eſto* ſoiez
qu'il ſoit qu'ils ſoient

Soit & ſoient *pronuntiantur ac ſi ſcripta eſſent* ſait, *id quod fit etiam in tertiâ tam ſing. quam plur. numeri Præſentis* Optativi.

Optativus vel Subjunctivus.

Præſens.

je ſois tu ſois il ſoit	*ſim*	nous ſoions vous ſoiez ils ſoient.

Imperf.

Imperfectum I.

je fuſſe		nous fuſſions
tu fuſſes	*eſſem*	vous fuſſiez
il fût		ils fuſſent.

Imperfectum II.

je ſerois		nous ſerions
tu ſerois	*eſſem*	vous ſeriez
il ſeroit		ils ſeroient.

Perfectum.

j'aie		nous aions	
tu aies	été *fuerim*	vous aiez	été
il ait		ils aient	

Plusquam perfect. I.

j'euſſe		n. euſſions	
tu euſſes	été *fuiſſem*	v. euſſiez	été
il eût		ils euſſent	

Plusquam perfect. II.

j'aurois		n. aurions	
tu aurois	été *fuiſſem*	v. auriez	été
il auroit		ils auroient	

Futu-

Futurum.

j'aurai tu auras il aura	été *fuero*	nous aurons vous aurez ils auront	été

Infinitivus.

Præsens & Imperf. étre *esse.*
Perfect. & plusq. avoir été.

Participia.

Præsens & Imperf. étant *existens*
Perfect. & plusq. aiant été *cum fuerim*, vel *fuissem.*
Passivum été *qui fuit.*

Gerundia.

d'étre	*existendi*
en étant	*existendo*
pour étre	*ad existendum.*

Hoc Verbum diversimodè capitur.

1. Cum Pronomine personali in *tertia persona*, dum *Existentiam Localem* vel *Qualitatem* cujuslibet subjecti denotat, ut: *Pierre est sage, il est prudent, il est à la Haie,* Petrus doctus est, prudens est, &c.

Ce

2. Cum *Pronomine Demonstrativo* in tertiâ persona tam singularis quam pluralis numeri, sequente *Articulo Unitatis*, *Nominibus Substantivis*, *Pronominibus*, & *Præpositionibus*, ut: *C'est un genereux Capitaine* est generosus Dux.

Ce sont de braves soldats, sunt egregii milites.

C'est André est Andréas, *C'est l'homme du monde que j'aime le plus* ille est, quem maximè amo in mundo.

C'est lui, *ce sont eux* ipse est, ipsi sunt.

C'est nous, *c'est vous* sumus, estis.

Ce sont les miens, mei sunt.

C'est pour moi, *c'est contre lui* est pro me, est contra eum.

Excipe *Heures*, *Tems*, *Saison*, & ejusmodi quæ postulant (*il*) ante Verbum, ut: *il est saison*, *il est trois heures*, tempus est, tertia est.

Il y a.

3. Impersonale *Il y a*, id est, *est* vel *sunt* in omnibus Temporibus & Modis, quotiescumque designare volumus *Spatium Temporis & Loci*, item *Numerum aliquem* sive *certum*, sive *incertum*, modo eum non indigitemus, seu demonstremus, ut: *il y a long tems que je suis ici*, jam dudum hîc fui.

Il y a environ trois lieuës d'ici à la Haïe Haga diſtat hinc circiter tribus milliaribus.

Il y a un Dieu au Ciel createur de l'univers Deus eſt in Cœlo creator totius orbis.

Il y a plus de bêtes dans la Mer que ſur la Terre, plures reperiuntur beſtiæ in Oceano, quam ſuper terram.

Il fait.

4. Per Imperſonale *Il fait* ad exprimendam Conſtitutionem *Loci* aut *Temporis*, ut: *Il fait clair dans cette chambre*, in hoc cubiculo clarum eſt.

Il fait ici plus net qu'à Paris, Plateæ hîc mundiores ſunt quam Pariſiis.

Il a fait chaud æſtuavit, *il fera froid* hyemabit.

Il vaut mieux.

5. *Il vaut mieux*, præſtat, vel eſt ſatius.

Il vaut mieux ſe taire, que parler mal præſtat tacere, quam malè loqui.

CAP. II.

De *Quatuor Conjugationibus Regularibus.*

Formatio *Modorum* & *Temporum* præcipuè dependet ab *Infinitivo* & ejus *Participiis*: Itaque præſuppoſitis illorum cogni-

gnitionibus, haud difficilè in cæterorum tum Temporum, tum Modorum, notitiam venire poterimus.

Infinitivi terminatio *quadruplex* eſt.

Prima conjugatio deſinit in (*er.*)
Secunda in (*ir.*)
Tertia in (*oir.*)
Quarta in (*re.*)

Participia duo ſunt.

Præſens exit in (*ant*) & eſt *Activum.* *Alterum* terminatur juxtâ Conjugationum differentiam & eſt *Commune.*

Prima Conjugatio deſinit in (*er*) quæ vulgò inſtar (*é*) pronuntiatur ante dictionem à *Conſonanti* incipientem.

Infinitivus.

Chanter. *Canere.*

Participia.

chantant	*canens*	activum.
chanté	*cantatus*	commune.

Indi-

Indicativus.

Præsens.

Formatur ab *Infinitivo* ablato (*r*).

Sing.		*Plur.*
je chante		nous chantons
tu chantes	*cano*	vous chantez
il chante		ils chantent.

Imperfectum.

Formatur à *prima plurali Præsentis*, mutato (*ons*) in (*ois.*)

je chantois		nous chantions
tu chantois	*canebam*	vous chantiez
il chantoit		ils chantoient.

Perfectum Simplex.

je chantai		nous chantâmes
tu chantas	*cecini*	vous chantâtes
il chanta		ils chanterent.

Perfectum Compositum.

Formatur à *Præsenti Auxiliaris* Avoir *& Participio communi.*

j'ai chanté		nous avons chanté
tu as chanté	*cecini*	vous avez chanté
il a chanté		ils ont chanté.

Plus-

Plusquam Perfectum.

Componitur ab *Imperfecto* ejuſdem Auxiliaris & *Participio communi.*

j'avois chanté		n.avions chanté
tu avois chanté	*cecineram*	v. aviez chanté
il avoit chanté		ils avoiẽt chanté

Futurum.

